

www.e-rara.ch

Officia Propria Sanctorum Ecclesiae & Diocesis Constantiensis

Johann Franz

Constantiae, Anno M. DCC. VII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Ro 74

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-65530>

[Oktober - Dezember]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ferias. Perterritus hostis venerabundus procidens veniam exoravit. Cùm in Germaniam profectus esset, Imperator, conspectis duobus Angelis, aureâ cruce ad se accedentem ornantibus, è folio profiliens brachijs excepit, Regijs insignibus decoravit, eique sancti Viri brachium donavit. Nilominus impius frater, matre hortante, convivio exceptum, & postea in Ecclesiâ orantem, paratæ sibi mortis præscium, adhibitis sceleris comitibus interfecit. Sanguis per parietes aspersus adhuc conspicitur, & Deo vindice, matrem inhumanam terra absorbit; interfectores varijs modis miserè perierunt.

R. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. **Gloria Patri.** Et coronam.

In tertio Nocturno Hœmilia in Evangelium. Si quis vult post me venire. **De Communi unius Mart. non Pont. Missa.** In virtute tua. **De Communi unius Mart. non Pont. Evangel.** Si quis vult post me venire. **De eodem communi, ex præcedente Missa.**



FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

In Festo S. Remigij Episcopi & Conf.

Semiduplex ad libitum

Ora-

Omnia de Communi Conf. Pont. præter quartam Lectionem. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus : ut beati Remigij Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Lectio IV.

Remigius, Episcopus Rhemensis, floruit Clodoveo Rege Francorum, quem etiam baptizavit, & primus omnium doctrinâ & miraculis Francos ad Christi Domini fidem perduxit. Ejus oratione mortua puella revixit. Multos interpretatus est divinæ scripturæ libros. Amplius septuaginta annos summa cum laude Rhemensem Ecclesiam administravit. Cujus vitæ & mortis sanctitatem multâ, quæ consecuta sunt, miracula comprobârunt.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V. & VI. Sermo sancti Maximi Episc. Ad sancti ac beatissimi. De Communi Conf. Pont.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Homo quidam peregrè proficiscens. De eodem Communi. Missa. Statuit. De communi Conf. Pont.

DIE II. OCTOBRIS.

In Festo S. Leodegarij Episc. & Martyris Semiduplex.

Ome

*Omnia de Communi unius Mart. præter ea,
quæ sequuntur. Oratio.*

Deus, qui nos beati Leodegarij martyris tui
atque Pontificis annuâ solemnitate lati-
ficas : concede propitius : ut cujus natali-
tia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudea-
mus. Per Dominum.

*In primo Nocturno Lektionen de Scriptura oc-
currente.*

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Leodegarius ex præclarissima nobilissima-
que Francorum progenie exortus, à primava
ætatis infantia à parentibus in palatio Clo-
tario Regi traditus : & ab eodem Rege non post
multum temporis Didoni Pictaviensis urbis Epi-
scopo suo avunculo litterarum studijs per sacerdo-
tem virum religiosum imbuendus datus est, à quo
religiosè pieque educatus, quam ab ipso castissi-
mam morum disciplinam accepit, eam meliorem
reddidit ; nam adolescens, ut erat præclaro in-
genio, liberalium artium scientiâ imbutus, quò
in doctrinis præstantior exstitit, eò plus in mori-
bus conformandis diligentia posuit ; ita ut vigin-
ti annos natus senis prudentiam & gravitatem
præferret. Itaque Diaconus primum, mox-
que Archidiaconus constitutus ; à Clotario Rege,
ejus virtutibus cognitis, Augustodunensi Ecclesiæ
Episcopus præficitur. Quo in munere gerendo
virginitatem, quam usque dum in vita fuit, inte-
gerrimam custodivit, Orationis assiduitatem, vi-
gilia, abstinentiam, liberalitatem, hospitalitatem,
in adhortando mansuetudinem, in reprehenden-
do severitatem semper adhibuit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: *Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Descendit que cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Post obitum Childerici Regis, qui Clotario successerat, sanctus Episcopus Leodegarius Ebroinum majorem domus Regiæ Theodorici immanissimum persecutorem pro veritate est passus. Is namque ob tyrannidem, quam Clotario regnante in Francos exercuerat, Childerici Regis sive rogati consensu, sive offensi jussu, in Luxoviense monasterium concessit, monasticum illic institutum complexus. Postea tamen mortuo Childerico, inde miser recedens, priorem dignitatis gradum seditione commotâ invasit atque obtinuit. Verùm existimans se Leodegarij operâ de antiqua potestate dejectum, crudelissimis eum tormentis affici curavit. Post famem, etenim, & carceris squalorem, oculorum evulsionem, plantarum concisionem, linguæ & labiorum excisionem, eum tandem capite plecti voluit in loco Atrebatensis territorij, qui sylva sancti Leodegarij dicitur. Ejus corpus in villa Sarcingensi sepultum est anno Christi sexcentesimo octogesimo quinto.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Cumque sancti Leodegarij vitæ innocentiam, merita & crebra miracula, quæ ad ejus sepulchrum fiebant, declararent, pia existit quorundam Episcoporum de sancti Martyris corpore contentio & dimicatio. Ansoaldus enim Pictaviensis, illud monasterij consanguinitatisque privilegio vindicare voluit: Hermencharius Augustodunensis, jura Episcopatus prætulit: sanctus verò Vindicianns Atrebatensis, sanctum Martyrem, contestabatur Dei permissu locum cum martyrij, tum sepulchri in sua Diœcesi accepisse. Sed fufis ad Dominum precibus, Pictaviensi Episcopo sanctum corpus deberi iudiciis declaratum est. Quam ob rem ad beati Maxentij cœnobium translatum, ibidem honorifico sepulchro conditum est. Porrò hujus sancti Martyris festus dies ab Ecclesia sexto Nonas Octobris recolitur, inquam diem incidit etiam fratris ejus sancti Gairini natalis, qui per eundem Ebroinum graviter afflictus, & non multò post lapidibus obrutus insignem martyrij palmam adeptus est.

R. Stolâ jucunditatis induit eum Dominus:
* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam,

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 15.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et reliqua.

Ho-

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tractat, 80. in Ioannem.

Iste locus Evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus vitem, & discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesie, nosque membra ejus, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Unius quippe nature sunt vitis & palmites. Propter quod cum esset Deus, cujus nature non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus.

R. Corona aurea super caput ejus, **R.** Expressa signo sanctitatis gloria honoris, & opus fortitudinis. **V.** Quoniam pravenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio VIII.

Quid ergo est: Ego sum vitis vera? Numquid addens, vera, hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cetera hujusmodi, quae magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istae similitudines, non proprietates. Sed cum dicit: Ego sum vitis vera: ab illa se utique discernit, cui dicitur: Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena? Nam quo pacto est vitis vera, quae expectata est, ut faceret uvas, fecit autem spinas?

R. Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine

mine sanguinem suum fudit: * Qui minas iudicum non timuit, nec terrænæ dignitatis gloriam quæsit, sed ad cœlestia regna pervenit. ✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio IX.

Ego sum, inquit, vitis vera, & Pater meus agricola est: Numquid unum sunt agricola & vitis? secundum hoc ergo vitis Christus, secundum quod ait: Pater major me est. secundum autem id quod ait: Ego & Pater unum sumus; & ipse agricola est: nec talis, quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium; sed talis, ut det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. Sed utique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum: unde ipse & Pater unum sunt: &, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat. Te Deum.

Missa. Sacerdotes De Communi unius Mart. Pont. Evang. Ego sum vitis vera. De communi temp. Pasch.

DIE IX, OCTOBRIS.

In Festo S. Francisci Borgiae Confessoris,
Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter Orationem & Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

Domine Jesu Christe, veræ humilitatis, & exemplar, & præmium: quæsumus, ut sicut

sicut B. Franciscum in terreni honoris contemptu imitatore[m] Tui gloriosum effecisti, ita nos ejusdem imitationis & gloriæ tribuas esse consortes, Qui vivis & regnas, &c.

In primo Nocturno Lektionen de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Lectio IV.

FRANCISCUS GANDIÆ DUX QUARTUS JOANNE BORGIA, & JOANNE ARAGONIA, FERDINANDI CATHOLICI NEPTE GENITUS, POST PUERILEM ÆTATEM inter domesticos mirā innocentiam, & pietate[m] transactam, in Aula primū[m] CAROLI QUINTI CÆSARIS, MOX IN CATALAUNIÆ ADMINISTRATIONE admirabilior fuit Christianæ virtutis, & vitæ austerioris exemplis. Ad GRANATENSE SEPULCHRUM ISABELLAM IMPERATRICEM CUM DETULISSET, IN EJUS VULTU fœdè commutato, mortalium omnium caducitatem relegens, voto se adstrinxit, rebus omnibus, cum primū[m] liceret, abjectis, Regum Regi unicè inserviendi. Inde tantum virtutis incrementum fecit, ut inter negotiorum turbas religiosæ perfectionis simillimam imaginem referens, Miraculum principum appellaretur.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. * Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

MORTUÀ ELEONORÀ DE CASTRO CONJUGE, INGRESSUS EST SOCIETATEM JESU, UT IN EA LATÈRET securus, & præcluderet dignitatibus adi-

tum, interpositâ voti religione: dignus quem & viri Principes complures in amplectendo severiori instituto fuerint secuti, & Carolus Quintus ipse in abdicando Imperio hortatorem sibi, aut ducem extitisse non diffiteretur. In eo arctioris vitæ studio Franciscus jejunis, catenis ferreis, asperrimo cilicio, cruentis, longisque verberationibus, somno brevissimo, corpus ad extremam usque maciem redêgit; nullis præterea parcens laboribus ad sui victoriam, & ad salutem animarum. Tot itaque instructus virtutibus, à sancto Ignatio primùm Generalis Commissarius in Hispaniis, nec multò post Præpositus Generalis Tertius à Societate universa, licet invitatus, eligitur. Quo in munere Principibus, ac Summis Pontificibus prudentiâ, ac morum sanctitate apprime charus, præter complura vel condita, vel aucta ubique domicilia, Socios in Regnum Poloniae, in Insulas Oceani, in Mexicanam, & Peruânam Provincias invexit: missis quoque in alias Regiones Apostolicis viris, qui prædicatione, sudoribus, sanguine, fidem Catholicam Romanam propagârunt.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. *V.* Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

DE se ita demissè sentiebat, ut peccatoris nomen sibi proprium faceret; Romanam purpuram à Summis Pontificibus sæpius oblatam, in victâ humilitatis constantiâ recusavit.

Vet-

Verrere sordes, emendicare victum offiatim, ægris ministrare in Nosocomiis, mundi, ac sui contemptor, in delicijs habuit. Singulis diebus multas continenter horas, frequenter octo, quandoque decem dabat cœlestium contemplationi. Centies quotidie de genu Deum adorabat. Nunquam à sacrificando abstinuit: prodebatque sese divinus, quo æstuebat, ardor; ejus vultu sacram Hostiam offerentis, aut concionantis interdum, radiante. Sanctissimum Christi corpus in Eucharistia latens, ubi asservaretur, instinctu cœlesti sentiebat. Cardinali Alexandrino ad conjungendos contra Turcam Christianos Principes Legato comes additus à B. Pio Quinto, arduum iter, fractis jam penè viribus, suscepit ex obedientia, in qua & vitæ cursum Romæ, ut optârat, feliciter consummavit, anno ætatis suæ sexagesimo secundo, salutis verò millesimo quingentesimo secundo. A Sancta Theresia, quæ ejus utebatur consiliis, Vir Sanctus, à Gregorio Decimo Tertio fidelis administer appellatus. Demum à Clemente Decimo pluribus, magnisque clarus miraculis in Sanctorum numerum adscriptus est.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; ** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. V.* Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. *Quia, Gloria, Quia.*

In tertio Nocturno, Homilia S. Hieronymi in Evangelium. Ecce nos reliquimus. Ut in communi Abbatum

Missæ. Os iusti. De Communi Confess. non Pont. cum Evangel. Ecce nos reliquimus omnia. De Communi Abbatum.

DIE XIII. OCTOBRIS.

In Festo S. Eduardi Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter Orationem & Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

DEus, qui beatum Regem Eduardum Confessorem tuum æternitatis gloriâ coronasti: fac nos quæsumus, ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cœlis. *Per Dominum.*

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Lectio IV.

EDuardus cognomento Confessor, nepos Sancti Eduardi Regis, & Martyris, Anglo-Saxonum Regum ultimus, quem futurum Regem Brithualdo viro sanctissimo in mentis excessu Dominus demonstravit, decennis à Danis Angliam vastantibus quæsitus ad necem, exulare cogitur apud Avunculum Normanniæ Ducem, ubi in mediis vitiorum illecebris talem se exhibuit integritate vitæ, morumque innocentia, ut omnibus admirationi esset. Eluxit in eo velut mira pietas in Deum, ac res divinas, fuitque ingenio mitissimo, atque ab omni dominandi cupiditate alieno, cujus ea vox fertur: Malle se Regno carere, quod sine cæde, & sanguine obtineri non possit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

EXtinctis mox Tyrannis, qui fratribus suis vitam, & Regnum eripuerant, revocatur in patriam, ubi summis omnium votis, & gratulatione Regno potitus, ad hostilium irarum delenda vestigia totum se convertit, à sacris exorsus, ac Divorum Templis, quorum alia à fundamentis erexit, alia refecit, auxitque redditibus, ac privilegiis, in eam curam potissimum intentus, ut refloresceret collapsa Religio. Ab aulæ proceribus compulsum ad nuptias, constans est assertio scriptorum, cum virgine sponsa virginitatem in Matrimonio servasse. Tantus in eo fuit in Christum amor & fides, ut illum aliquando inter Missarum solemnias videre meruerit blando vultu, & divinâ luce fulgentem. Ob profusam charitatem, orphanorum, & egenorum pater passim dicebatur, nunquam lætior, quàm cum Regios thesauros exhausisset in pauperes.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Prophetiæ dono illustris, de Angliæ futuro statu multa cælitus prævidit, & illud in primis memorabile, quod Sweyni Danorum Regis in mare demersi mortem, dum Angliam invadendi animo classem conscenderet, eodem, quo accidit momento, divinitus intellexit. Joannem Evangelistam mirificè coluit, nihil cuiquam, quod ejus nomine peteretur, negare solitus, cui olim sub lacerata veste suo nomine stipem roganti, cum nummi deessent, detractum ex digito annulum porrexit, quem Divus non ita post multò Eduardo remisit, unà cum nuntio secuturæ mortis; quare Rex, indictis pro se precibus, ipso ab Evangelista prædicto die, piissimè obiit nonis videlicet Januarij, Anno salutis millesimo sexagesimo sexto, quem sequenti sæculo, Alexander Papa Tertius miraculis clarum, Sanctorum fastis adscripsit. At ejus memoriam Innocentius Undecimus officio publico per universam Ecclesiam eo die celebrari præcepit, quo annis ab obitu sex & triginta translatum ejus corpus incorruptum, & suavem spirans odorem repertum est.

¶ Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; * Quia te vidi justum coronam me ex omnibus gentibus. * Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangel.

Sint

Sint lumbi vestri præcincti, &c. *Ut in communi Conf. non Pont. Missa. Os just. De eodem communi. Oratio propria. Deus qui beatum Regem. ut supra.*

DIE XVI. OCTOBRIS.

In Festo S. Galli Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Abbatum præter Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Domine, beati Galli Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Lectio IV.

GAllus Abbas nobilibus & religiosis parentibus in Scotia natus Columbano, spectatâ pietate ac sanctitate viro, in disciplinam ab ineunte ferè ætate traditur. Præclarâ indole cum esset, virtutum ornamentis à præceptore religiosè excultus, mirè etiam in doctrinis præsertim divinis profecit.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Sacerdos factus in sanctarum precum officiiis diu noctuque stans horis versabatur. In Galliam autem cum beato Columba-

no disseminandi Evangelii causâ profectus, multis & illius provinciæ & Germaniæ locis peragratis, ubi dæmonum fana atque simulara invênit, zelo divini cultus mirificè incensus omnia inflammavit, comminuit, ac dissipavit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Fuit porrò is solitudinis amans, Christi disciplinæ deditus, ab otio, & desidia abhorrens: ditiones & opes patrias, quas amplas habuit, plenè reliquit, res humanas despexit, honores contempsit; Constantiensem Episcopatum sibi delatum repudiavit; demum laboribus multis fidei causâ perfunctus annum nonagesimum quintum agens obdormivit in Domino miraculis clarus, quorum multitudine & magnitudine Deus illius sanctitatem ubique testatam voluit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Ecce nos reliquimus omnia. De Comuni Apost. Missa. Os justi. De Comuni Abbatum.

DIE

DIE XVII. OCTOBRIIS.

In Festo S. Hedwigis Ducissæ Poloniæ Vid.
Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart.
præter Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster : ut sicut
de beatæ Hedwigis festiuitate gaude-
mus ; ita piæ devotionis erudiamur af-
fectu. Per Dominum.

In primo Nocturno; Lectiones de Scriptura
occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Hedwigis Regiis clara natalibus, innocen-
tia tamen vitæ longè clarior, sanctæ
Elisabethæ filiæ Regis Hungariæ ma-
tertera, Bertoldi, & Agnetis Moraviæ Mar-
chionum filia, animi ab ineunte ætate modera-
tionem protulit ; adhuc enim puellula pueri-
libus abstinuit ; & duodennis Henrico Polo-
niæ Duci à parentibus nuptui tradita, thala-
mi fide sanctè servatâ, prolem inde susceptam
in Dei timore erudivit. Ut autem commo-
diùs Deo vacaret, ex pari voto, & consensu
unamini ad separationem thori virum indu-
xit ; quo defuncto, in Monasterio Trebnicen-
si, Deo, quem assiduis precibus exoraverat,
inspirante, Cisterciensem devota sumpsit habi-
tum ; in eoque contemplationi intenta, Divinis
Officiis, & Missarum solemnibus à Solis ortu, ad
meridiem usque assidua assistens, antiquum
humani generis hostem fortis contempnit.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua, **V.** Specie tuâ & pulchritudine tuâ, intende, prosperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio V.

Sæculi autem commercia, ni Divina, vel animarum salutem attingerent; audire, vel loqui, non sustinuit: prudentia in agendis sic emicuit, ut neque excessus esset in modo, nec error in ordine, comis aliqui, & mansueta in proximum. Grandem autem de se triumphum jejuniis, & vigiliis, vestiumque asperitate, austera carnem macerans, reportavit: hinc sublimioribus virtutibus Christianis, consiliorum gravitate, animique candore, & quiete in eximium religiosæ pietatis evasit exemplar: omnibus se ultrò subjicere, atque viliora præ cæteris monialibus alacriter munia subire, pauperibus etiam flexo genu ministrare, leprosoꝝ pedes abluere, & osculari, ipsi familiare erat, neque illorum ulcera sanie manantia, sui victrix abhorruit.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Mira fuit ejus patientia, animique constantia; præcipuè verò in morte Henrici Ducis Silesiæ sui, quem maternè diligebat, Filii in bello à Tartaris cæsi enituit; potiùs enim gratias Deo, quam filio lacrymas red-

reddidit. Miraculorum denique gloria percrebuit; puerum enim demersum, & molendini rotis allisum, & prorsus attritum, invocata, vitæ restituit, aliaque præstitit, ut ritè iis Clemens Quartus probatis, Sanctorum numero eam adscriperit, ejusque festum in Polonia, ubi præcipua veneratione, uti Patrona colitur, die decimo quinto Octobris celebrari concesserit; quod deinde ut decima septima in tota Ecclesia fieret, Innocentius Undecimus ampliavit.

R. Fallax gratia, & vana est pulchritudo:

* Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

* Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium. Simile est regnum cælorum thesauro &c. De Communi nec Virg. nec Mart. Missa Cognovi. De Communi nec Virg. nec Mart.

DIE XIX. OCTOBRIS.

In Festo S. Petri de Alcantara Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confes. non Pont. præter Orationem, & Lektionen secundi Nocturni.

Oratio.

Deus, qui beatum Petrum Confessorem tuum admirabilis pœnitentiæ & altissimæ contemplationis munere illustra-

strare dignatus es : da nobis quæsumus ; ut
ejus suffragantibus meritis carne mortificati,
facilius cœlestia capiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno. Lektionen de scriptura
occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Petrus Alcantaræ in Hispania nobilibus pa-
rentibus natus , à teneris annis futuræ
sanctitatis indicia præbuit. Decimo
sexto ætatis anno Ordinem Minorum ingres-
sus, se omnium virtutum exemplar exhibuit.
Tum munus Concionatoris ex obedientia ex-
ercens, innumeros à vitiis ad veram pœni-
tentiam traduxit. Primævum sancti Fran-
cisci Institutum exactissimè reparare cupiens
ope divinâ fretus , & Apostolicâ munitus au-
thoritate , angustissimum , & pauperrimum
Cœnobium juxta Pedrosam fundavit , quod
vitæ genus asperrimum ibi feliciter cœptum
per diversas Hispaniæ Provincias usque ad In-
dias mirificè propagatum fuit. sanctæ The-
resie , cujus probaverat spiritum , in promo-
venda Carmelitarum reformatione adjutor
fuit. Ipsa autem à Deo edocta, quòd Petri no-
mine nihil quisquam peteret , quin protinus
exaudiretur , ejus precibus se commendare,
& ipsum adhuc viventem Sanctum appellare
consuevit.

R. Honestum fecit illum Dominus , & cu-
stodivit eum ab inimicis , & à seductoribus tu-
tavit illum : * Et dedit illi claritatem æter-
nam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias
rectas,

rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V

Pincipum obsequia, qui ipsum velut oraculum consulebant, summâ humilitate declinans, Carolo Quinto Imperatori à confessionibus esse recusavit. Paupertatis rigidissimus custos una tunicâ, quâ nulla deterior esset, contentus erat. Puritatem ita coluit, ut à fratre in extremo morbo sibi inferiente, nec leviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpetuis vigiliis, jejuniis, flagellis, frigore, nuditate, atque omni genere asperitatum in servitutem redegit, cum quo pactum inierat, ne ullam in hoc sæculo ei requiem præberet. Charitas Dei & proximi in ejus corde diffusa tantum quandoque excitabat incendium, ut è cellæ angustiis in apertum campum prosilire, aërisque refrigerio conceptum ardorem temperare cogeretur.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, **R.** Et ad portas Paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Gratia contemplationis admirabilis in eo fuit, quâ cum assiduè spiritus reficere-tur, interdum accidit, ut ab omni cibo & potu pluribus diebus abstinuerit. In aëra frequenter sublatus, miro fulgore coruscare visus est. Rapidos fluvios sicco pede trajecit. Fratres in extrema penuria coelitus delatâ

latâ alimoniâ cibavit. Baculus ab ipso terra defixus, mox in viridem ficulneam excrevit. Cùm noctu iter ageret densâ nive cadente dirutam domum sine tecto ingressus est, eique nix in aëre pendula pro tecto fuit, ne illius copia suffocaretur. Dono prophetiæ, ac discretionis spirituum imbutum fuisse, sancta Theresia testatur. Denique annum agens sexagesimum tertium, horâ, quâ prædixerat, migravit ad Dominum mirabili visione, Sanctorumque præsentiam confortatus, quem eodem momento in cœlum ferri beata Theresia procul distans vidit, cui postea apprensens dixit: O felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam. Post mortem verò plurimis miraculis claruit, & à Clemente Nono sanctorum numero adscriptus est.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Nolite timere pusillus grex. **De Comuni Conf. non Pont. Missa.** Justus ut palma florebit. **De Comuni Conf. non Pont. Epistola.** Fratres quæ mihi fuerunt lucra. **Quæ habetur post Postcommunionem ejusdem Missæ.**

DIE XXI. OCTOBRIS:

In Festo SS. Ursulæ & Sociarum Virg. &
Mart. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. Ad Mag.
in utrisque Vesperis & in Laudibus ad Bene-
dictus, Antiph. Prudentes Virgines, aptate
vestras lampades: ecce sponsus venit, exite
obviam ei. *Ps.* Adducentur Regi Virgines
post eam. *Ps.* Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

DA nobis quæsumus Domine Deus noster,
sanctarum Virginum & Martyrum tua-
rum, Ursulæ & Sociarum ejus, palmas
incessabili devotione venerari: ut quas dignâ
mente non possumus celebrare, humilibus
saltem frequentemus obsequiis. Per Domi-
num.

In primo Noctur. Lectiones. De Virgi-
bus præceptum. De Communi Virg.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Cum Maximus tyrannus contra Grati-
anum Imperatorem bellum gerens pro-
ximas Gallias invasisset, atque vicinos
Armoricos è sedibus expulisset, uberem, sed
habitoribus vacuam regionem Britannis
militibus, quorum erat usus auxilio, novæ
Coloniæ tribuit, atque divisit. Unde & ei-
dem Provinciæ comparatum est nomen, ut
minor Britannia diceretur. Quò verò eo-
rum etiam posteritati consuleret, ex magnâ
Britanniæ insula, singulisque militibus, qui in
duabus legionibus ad undecim millia erant,
fin-

singulæ virgines ex gentilibus suis sunt in matrimonium postulatae.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam, * Et deducet te mirabiliter dextera tua, *Y.* Specie tuâ & pulchritudine tuâ, intende, prosperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio V.

ERat autem prædictorum militum præcipuus post Maximum Dux Conanus, unus ex Britannia regulis. Cui paris nobilitatis conjug designata est filia Dionoci Regis Cornubiæ nomine Ursula. Cunctis itaque coactis (omnes numero undecim mille, quarum principem locum Ursula tenebat) Londini invitæ licet, patrium solum & charos suos relinquentes, navigiis imponuntur. Dumque regionem Armoriorum cogitant nautæ, mox sæva procella naves in Germanicum litus impulit. Ubi dum essent Melga Pictorum & Gaunus Hunnorum piratæ, qui comparatâ classe (icto fœdere cum Gratiano Imperatore adversus Maximum, ut vel hac arte eum à cœptis deturbarent) cum ad divexandam & turbandam Britanniam tenderent, in has ad litus jactatas virginum naves incidentes, sic in Britannas virgines, ut in hostes irruerunt, ut vim inferendi illarum pudicitia consilium caperent.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laticia. *Y.* Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Quæ omnes hortatu Ursulæ mortem diris-
simam potius oppetere decreverunt, ,
quàm ignominiosum quid pati. Cum-
que eâ persisterent animi firmitate, illorum libi-
dine in barbaricum furorem mutatâ singulas
crudelissimè trucidarunt, quas duplici auctas co-
ronâ, martyrij scilicet atque virginitatis cœlum
accepit, anno post partum Virginis trecentesimo
octogesimo tertio, Gratiano, Valentiano & Theo-
dosio Imperatoribus, Damaso summo Pontifice.
Post hæc sparsa finitimis regionibus fama, de re-
ligiosa virginum nece, quod vitæ potius, quàm
pudicitiaë dispendium pati sustinuis-
sent, à vici-
norum locorum incolis sacra earum corpora ho-
noricè sublata sunt, atque Coloniam Agrippi-
nam allata, debito sanctis martyribus cultu cele-
brata sunt. Harum beatarum virginum natalis
dies duodecimo Kalendas Novembris ab Ecclesia
recolitur, & prostridiè sanctæ Cordulaë, quæ una
ex Sodalibus sanctæ Ursulæ apud Coloniam, cum
aliarum supplicijs & cæde perterrita se occultaf-
set, ejus rei pœnitens, postridiè se ultrò patefe-
cit, & novissima omnium martyrij coronam ac-
cepit.

R. Afferentur Regi virgines post eam, proxi-
mæ ejus, * Afferentur tibi in lætitia & exultatio-
ne. **V.** Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende,
prosperè procede, & regna. Afferentur. **Gloria**
Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium,
Simile erit regnum cœlorum decem Virginibus.

De Communi Virg. Missa Loquebar. Orationes.
De Communi plurimar. Virg. & Mart. statim
post Missam. Epistola. De Virginibus præceptum
Domini non habeo. De eodem Communi in
tertia Missa.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Festo S. Wolfgangi Episc. & Conf.
Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter ea,
quæ sequuntur hic propria.

Oratio.

DEus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolf-
gangum ministrum tribuisti; præsta quæ-
sumus: ut quem doctorem vitæ habuimus
in terris, intercessorem habere mereamur in cœ-
lis. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura oc-
currente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Wolfgangus nobili in Suevia genere pro-
gnatus, rerum exterarum fuit, & sui contem-
ptor egregius, solum ex animo Deum
quærens, honores amplissimos ab Henrico Tre-
virensium Episcopo sibi oblatos recusavit, illò-
que demortuo pollicitationibus aliorum contem-
ptis monasticam tandem vitam, cujus semper
desiderio flagraverat, est amplexus. Sacris ordi-
nibus à beato Udalrico initiatus, cum in Panno-
niam prædicandi Evangelij causa se prius contu-
lisset, propter conjunctam in eo eximia cum pie-
tate prudentiam, Othonis Imperatoris studio ro-

tius.

tiusque Cleri, & populi acclamatione Ecclesie Ratisbonensi rite perficitur.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *V.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio V.

Suscipiente Episcopatus munere, gregem Domini verbo pavit & exemplo, sanctissimisque Ecclesiam temperavit institutis. Monasterio sancti Emmerani, quod jam diu Episcopi administraverant, restitutis proventibus, magno illius bono, insignem virum Romualdum preposuit. Sanctimonialium Cœnobium, quod ipse fundaverat tam sanctè instituit, ut collapsa in aliis disciplina, eo exemplo sit facilè restaurata, novoque pietatis odore capta Brígida Bavarie Ducis filia, Sponsam Christum secuta, ad sacras se Virgines aggregarit. Bohemis, quo ampliora apud illos fides incrementa caperet, contempto suæ Ecclesie detrimento, rejectis aliorum consiliis, proprium dari Episcopum libentissimè permisit.

R. Posui adjutorium super potentem: & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *V.* Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

EGregiam viri sanctitatem comprobarunt Energumeni, & variis languoribus oppressi, quos precatione sanavit. Divino afflatus instinctu sanctum Henricum Imperato-

rem regnaturum, fratrem ipsius Brunonem ad Episcopatum promotum iri; è sororibus alteram Reginam, Abbatissam alteram fore prædixit. Denique cum viginti, & amplius annis in seduli Pastoris munere peractis, extreimum sibi diem imminere intelligeret, quæ ex usitata liberalitate supererant, per manus pauperum præmisit, sacræque Eucharistiæ viatico præmunitus in sancti Othmari æde, uti divinitus antea futurum acceperat, sanctissimam vitam, pari morte conclusit, Ratisbonæ in templo sancti Emmerani sepultus.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium. Vigilate, quia nescitis. De Communi Conf. Pont. Missa. Sacerdotes tui. De Communi Conf. Pont.



FESTA NOVEMBRIS.

DIE III. NOVEMBRIS.

Tertiâ die inf. Octav. omnium Sanctorum.
Pro commemoratione S. Firminij Episcopi
& Confessoris.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut beati Firminij Confessoris tui atque Pontificis
venes

veneranda solemnitas, & devotionem nobis au-
geat & salutem. Per Dominum,
Et S. Iddæ Viduæ. Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de
beatæ Iddæ festivitate gaudemus, ita piæ
devotionis erudiamur affectu. Per Domi-
num, &c.

Lectio IX.

Pirminius Meldensis Episcopus liberalibus ar-
tibus eruditus, pietatisque studio flagrans
monasteria tredecim ædificavit, sanctisque
institutis communit, quorum præcipuum fuit,
quod Augiæ majoris dicitur. In Episcopatus
autem munere vigilantissimus, nihil non egit, ut
& verbo, & exemplo Ecclesiæ commissæ prodes-
set, quâ sanctè administratâ meritis cumulatus
obdormivit in Domino tertio Nonas Novem-
bris Anno à Christi nativitate septingentesimo
& quinquagesimo circiter. In eandem diem
incidit beata mors sanctæ Iddæ Comitissæ Hen-
rici Comitis Togkenburgensis uxoris, quæ cum
tota in jejunio, lacrymis, & precibus assiduis, post
diuturnam in Eremo vitam, versaretur, in pace
tandem quievit. Cujus sanctitatem Deus mira-
culis testatam esse voluit. **T**e Deum.

DIE VI. NOVEMBRIS.

Sextâ Die infr. Octav. omnium Sanctorum.

Pro commemoratione S. Leonardi Conf.

Oratio.

Deus, qui nos beati Leonardi Confessoris
tui annuâ solemnitate lætificas: concede
propitius; ut cujus natalitia colimus,
etiam

etiam actiones imitemur. Per Dominum, &c.
Lectio IX.

Leonardus in Aquitania nobili loco natus, sancti Remigij discipulus, Clodoveo Regi usque adeò gratus & charus fuit, ut quos in custodia inclusos pietatis causâ inviseret, eos rex à vinculis liberaret. Aliquamdiu in monasterio Aureliano vixit: inde discedens omnem Aquitaniam peragravit Verbi Dei prædicatione. Postea in sylvam quamdam, quæ à Lemovicensi Urbe decem millia passuum aberat, se abdidit, ubi ædificato à se monasterio, cum piè sanctèque vitam ageret, multa etiam miracula edidit. Regnam Galliaè è partu ita laborantem, ut medicorum iudicio nulla vitæ ejus spes esset, precibus suis adjuvit. Alios duos mortuos ad vitam revocavit, & alia prætereà multa divinè egit. Itaque miraculorum multitudine, & vitæ sanctissimæ nomine illustris quievit in Domino Octavo Idus Novembris anno salutis humanæ quingentesimo quinquagesimo nono. **Te Deum.**

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In Festo S. Didaci Confess. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. exceptis iis, quæ hic habentur prop.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dispositione mirabili infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitiis humilitati nostræ, ut piis beati Didaci Confessoris tui precibus ad perennem in cælis gloriam sublimari mereamur. Per Dominum.

In

In primo Nocturno Lektionen de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Lectio IV.

Didacus Hispanus ex Oppido sancti Nicolai de Portu Diocesis Hispanensis, ab ineunte ætate, pii sub Sacerdotis disciplina sanctioris vitæ, solitaria in Ecclesia tyrocinium exercuit. Deinde ut firmius Deo se conjungeret, in Conventu de Arizaza Fratrum Minorum (quos Observantes vocant) sancti Francisci Regulam in statu laicali professus est. Magna ibi alacritate humilis obedientiæ, & regularis observantiæ jugum subiens, contemplationi imprimis deditus, mirâ Dei luce perfundebatur, adeo ut de rebus cœlestibus litterarum expertus, mirandum in modum, & planè divinitus loqueretur.

Rx. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **ꝝ.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

CAnariis in Insulis, ubi Fratribus sui Ordinis præfuit, multa perpeffus, martyrij æstuans desiderio, plures infideles verbo, & exemplo ad Christi fidem convertit. Romam veniens anno Jubilæi Nicolao Quinto Pontifice, ægrotorum curæ in Conventu Aræ cœli destinatus, eo charitatis affectu munus hoc exereuit, ut Urbe annonæ inopia laborante, ægrotis tamen, quorum aliquando ulcera etiam lambendo abstergebat, nihil penitus necessarij defecerit. Eximia

mia quoque fides, & gratia curationum in eo eluxit, cum lampadis, quæ collucebat ante imaginem Beatissimæ Dei Genitricis, quam summa devotione colebat, oleo ægros inungens signo Crucis impresso multorum morbos mirabiliter sanaverit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum,* Et ad portas paradisi coronavit eum. *V.* Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

D Emum Compluti finem sibi vitæ adesse intelligens, lacerâ, & obsoletâ indutus tunicâ, coniectis in Crucem oculis, singulari devotione illis verbis ex sacro hymno pronuntiatis; Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ fuisti digna portare Regem cælorum, & Dominum, animam Deo reddidit, pridie Idus Novembris anno Domini supra millesimum quadringentesimo sexagesimo tertio. Ejus corpus, cum menses non paucos (ut pio Confluentium desiderio fieret satis) insepultum mansisset, quasi jam incorruptionem induerit, odorem suavissimum afflavit. Illum multis, & illustribus miraculis clarum Sixtus Quintus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. *V.* Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia gloria, Quia,

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium.

Noli timere pusillus grex. De Communi Conf.
non Pont. Missa. Justus. De Communi Conf.

non Pont. Oratio. prima prop. Omnipotens
sempiternæ Deus &c. ut supra.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Othmari Abbatis. Duplex.

Omnia de Communi Abbat. præter Lectiones
secundi Nocturni.

Oratio.

Intercessio nos quæsumus Domine beati Oth-
mari Abbatis commendet : ut quod nostris
meritis non valemus, ejus patrociniò assequa-
mur. Per Dominum.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura
occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Othmarus Germanus genere, cum sanctita-
tis & doctrinæ splendore floreret, multo-
rum monachorum Abbas eligitur. Factus
Abbas, pro ovibus, aliisque rebus ad monasteri-
um pertinentibus suæ curæ commissis, multis la-
boribus perfunctus, clarissima vigilantia, fidei,
doctrinæ & disciplinæ vestigia ad sempiternam
memoriam impressa reliquit. Pius, pudicus, hu-
milis, charitatis plenus, mansuetus & mitis ex-
stitit. In oratione frequens, in divinarum lau-
dum officiis assiduus fuit. Jejunio autem ita se
exercuit, ut sæpè biduo aut forte amplius jejunus
esset; in pauperes verò usque adeò benignus &
liberalis, ut quandoque ad eorum nuditatem te-
gendam, tunicam, quâ indutus incedebat, exue-
rit.

rit; ulcerosis atque elephantiacis, quorum cæteri vel aspectum ipsum horrere solent, præcipuâ curâ ministrabat.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

ID temporis Warinus & Ruardhardus Alemannia præfecti, res Ecclesiarum, præcipuè sancti Abbatis sibi per vim vendicabant. Quod vir Dei indignè ferens, sacrilegam injuriam ad Regem defert Pipinum: à quo omnia restituere jussi, ad insaniam propè in sanctum fûere cœperunt, in omnem ejus infamiam conjurati. Ideò religiosum quemdam fratrem, Lambertum nomine, subornant, qui Othmarum incontinentiæ criminis accuset. Factum id quidem, sed non impunè. Nam viri innocentiam palàm fecit divina vindicta in infamantem, quem adeò febrium æstu afflixit, ut paulatim resolutò membrorum vigore contrahi cœptus, capite in terram, quadrupedum more, inflexo, infelix cum ipso corporis misero habitu, tum verò voce vivâ se in virum sanctum fuisse admodùm injurium fateri usque cogeretur.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica m fidei, & ornavit eum. Et ad portas,

Lectio VI.

Multis præterea Othmarus injuriis affectus, tandem Warini & Ruardhardi suafu & aufu compellitur exulatum ire ad Rheni insulam propè Stein oppidum, ubi squalore & inedia, aliisque incommodis confectus, brevi ex hujus vitæ ærumnis ad cœlestem felicitatem decimo sexto Kalendas Decembris, anno salutis humane septingentesimo quinquagesimo octavo, meritis plenus & gloriosus emigravit. Ejus corpus, quod in Insula tumultum decennium jam quieverat, divino monitu, inde ad divi Galli monasterium ab ejusdem loci religiosi viri summo gaudio & honore translatum, atque in loco sacro solemnibus cæremoniis fuit conditum miraculis illustre.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. **Quia.**
Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Ecce nos reliquimus omnia. Ut in Communi Apostolorum. Missa. Os justi. De Communi Abbatum.

DIE XIX. NOVEMBRIS,

In Festo S. Elisabeth Viduæ. Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

Tuorum corda fidelium Deus miserator il-

illustra, & beatæ Elisabeth precibus gloriosis fac nos prospera mundi desplicere, & cælesti semper consolatione gaudere. Per Dominum.

In primo Nocturno. *Lectioes de Scriptura* occurrente.

In secundo Nocturno. *Lectio IV.*

Elizabeth Andreae Regis Hungariæ filia, ab infantia Deum timere cœpit, & crescens ætate, crevit etiam pietate. Ludovico Landgravio Hassiæ, & Thuringiæ in conjugem copulata, non minori cura, quæ Dei, quàm quæ viri sui erant, exquebatur; surgens enim nocturno tempore orationi diu incumbibat, ac variis misericordiæ officiis dedita viduis, pupillis, ægrotis, egentibus sedulò inserviebat, gravique fame urgente domus suæ frumenta liberaliter erogabat. Leprosos hospitio suscipiens, manus eorum, & pedes osculabatur. Curandis autem, & alendis pauperibus insigne Xenodochium construxit.

✠. Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam: Et deducet te mirabiliter dextera tua.
 ✠. Specie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende, prosperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio V.

Defuncto Coniuge, ut Deo liberiùs serviret, depositis omnibus sæcularis gloriæ indumentis vili tunicâ induta est, atque Ordinem Pœnitentium sancti Francisci ingressa, patientiæ, & humilitatis virtute maximè enituit. Nam bonis omnibus exuta, à propriis ædibus ejecta, ab omnibus derelicta contumelias,

irri-

irrisiones, obrectationes invicto animo toleravit, adeò, ut summoperè gauderet, se talia pro Deo pati. Ad infima quæque ministeria erga pauperes, & ægrotos se abiciens, eis necessaria procurabat, solis oleribus & leguminibus pro suo victu contenta.

Rz. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: Proptereà unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Proptereà.

Lectio VI.

CUm verò in his, aliisque plurimis sanctis operibus vitam religiosissimè transegisset, finis tandem suæ peregrinationis advénit, quem domesticis suis antè prædixit. Cumque defixis in cælum oculis divinæ contemplationi vacaret, à Deo mirabiliter recreata, & Sacramentis refecta, obdormivit in Domino. Statimque plurima ad ejus tumulum miracula patrata sunt, quibus auditis, & ritè probatis Gregorius Nonus Sanctorum numero eam adscripsit.

Rz. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Missa. Cognovi Domine, De Communi nec Virg. nec Mart.

DIE XX. NOVEMBRIS,

In Festo S. Felicis de Valois Confessoris. Duplex. Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea, quæ sequuntur. In

In Hymno. Iste Confessor. dicitur. Hac die
lætus meruit supremos laudis honores.

Oratio.

DEus, qui beatum Felicem Confessorem tu-
um ex eremo ad munus redimendi Capti-
vos cœlitus vocare dignatus es : præsta
quæsumus ; ut per gratiam tuam ex peccatorum
nostrorum captivitate, ejus intercessione libera-
ti, ad cœlestem patriam perducamur. Per Do-
minum.

In primò Nocturno. Lectiones de Scriptura
occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Felix, Hugo antea dictus, ex regali Valesio-
rum Familia ortus in Gallia, ab ineunte æ-
tate non leviâ dedit futuræ sanctitatis in-
dicia, præsertim misericordiæ erga pauperes; nam
adhuc infantulus manu propria, ac si grandior es-
set, & judicij maturitate polleret, nummos egre-
nis distribuit. Jam grandiusculus, solebat ex
appositis in mensa dapibus ad ipsos mittere, &
fermè eo, quod lapidius erat, obsonio pauperu-
los pueros recreabat. Adolescens non semel ve-
stibus se expoliavit, ut inopes cooperiret. Ab a-
vunculo Theobaldo, Xanphanæ & Blesii Comite,
vitam reo mortis impetravit, prædicens, hunc
infamem, hætenus sicarium mox sanctissimis
præditum moribus evasurum : veridicum testi-
monium monstravit eventus.

R. Honestum fecit illum Dominus, & cu-
stodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tuta-
vit illum : * Et dedit illi claritatem æternam.

ŷ. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Post exactam laudabiliter adolescentiam, coepit ex coelestis contemplationis studio solitudinem cogitare; prius tamen voluit sacris initiari, ut omnem regni, cujus successione jure Legis Salicæ non longè distabat, spem sibi præcideret. Sacerdos factus & prima Missa devotissimè celebrata, non multò post in eremum secessit, ubi summa abstinencia victitans, coelestium charismatum abundantia pascebatur. Ibi cum sancto Joanne de Matha Parisiensi Doctore, à quo ex divina inspiratione quæsitus, & inventus, per aliquot annos sanctissimè vixit; donec ambo per Angelum admoniti Romam petierunt, specialem à Summo Pontifice vivendi regulam impetraturi. Factâ igitur Innocentio Papæ Tertio inter Missarum solemnia revelatione Religionis & Instituti de redimendis captivis ab ipso Pontifice simul cum socio candidis vestibus, bicolori Cruce signatis, induitur, ad eam formam, quâ Angelus indutus apparuit: & insuper voluit Pontifex, ut nova Religio juxta triplicem colorem, quo habitus constat, Sanctissimæ Trinitatis titulo decoraretur.

✠. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stollam gloriæ induit eum: *✠.* Et ad portas paradisi cõtonavit eum. *ŷ.* Induit eum Dominus loriceam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Regula propria ex Summi Pontificis, Innocen-

centij confirmatione accepta, in Diœcesi Meldensî apud locum, qui Cervus Frigidus dicitur, primum Ordinis paulò ante à se & socio extractum cœnobium ampliavit, ubi religiosam observantiam, & redemptionis institutum mirificè coluit, ac inde per alumnos in alias provincias diligentissimè propagavit. Illustrem hîc à beata Virgine matre favorem accepit; dormientibus siquidem cunctis fratribus, & ad matutinas preces in pervigilio Nativitatis Deiparæ media nocte recitandas, Deo sic disponente, non surgentibus; Felix de more vigilans, & horas præveniens, chorum ingressus, reperit beatam Virginem in medio chori habitu Cruce Ordinis insignito indutam, ac Cœlitibus similiter indutis sociatam. Quibus permixtus Felix, præcinente Deipara, laudes divinas concinuit, riteque persolvit. Et quasi jam à terrestri ad cœlestem chorum evocaretur, instantis mortis ab Angelo certior factus, filios ad charitatem erga pauperes, & captivos adhortans, animam Deo reddidit atate ac meritis consummatus, anno post Christum natum ducentesimo duodecimo supra millesimum, sub eodem Pontifice Innocentio Tertio.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: *Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te vidi. **Gloria Patri.** Quia te vidi

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium.
Nolite timere pusillus grex. **De Communi Conf.**

non Pont. Missa. Justus ut palma. De eodem
Communi.

DIE XXI. NOVEMBRIS.

Pro commemorat. S. Columbani Abbatis.

Oratio.

Intercessio nos quæsumus Domine, beati Columbani Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

Lectio IX.

Columbanus Abbas multorum monachorum pater & mirificè pietatis vir, ex Hybernia inter ipsa fidei illic nascentis primordia oriundus non sine futuræ sanctitatis præfagio in lucem prodiit. Hujus namque mater gravida sibi visa est in quiete rutilantem nimioque fulgore micantem parere solem: qui universum terrarum orbem luce suâ illustraret. Quo somnio significabatur fore, ut splendore sanctitatis virtutumque suarum, ac miraculorum Gentes ad Christianam pietatem accenderet. Veritatem exitus comprobavit, id quippe & præstitit per se & per eos, quos Christo pepererat, è quorum numero præcipui fuere Gallus & Magnaldus, qui Sueviæ Apostolus meruit nominari. **Te Deum.**

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Conradi Episc. Conf. & Diocæsis Constantiensis Patroni. Duplex cum Octava.

Omnia de Communi Conf., Pont. præter ea quæ hic habentur propria.

EXaudi quæsumus Domine preces nostras quas in beati Conradi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus : & qui tibi dignè meruit famulari , ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

In primo Nocturno. Lektionen.

De Communi Confess. Pont.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Conradus Henrici Illustrissimi Comitis Altorfij ex conjugē Beata sive Hatta , filius septennis Nothingo Constantiensi Episcopo sanctissimo à piis parentibus religiose educandus, litterisq̄ue erudiendus traditur. Quo magistro usus , cū in scientiarum , tū etiam in Christianæ perfectionis studiis mirabiles progressus habuit. Adolescens cū magna sanctitatis prudentiæq̄ue laude floreret , Constantiensis Ecclesiæ Præpositus primū creatur ; deinde Nothingo Constantiensi Episcopo mortuo, in illius locum ob doctrinam & morum sanctitatem eligitur. Quod munus sancti Udalrici Augustani Præfulis rogatu ac precibus victus suscepit, cū diu recusasset.

R. Inveni David servum meum , oleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliabitur ei, **V.** Nihil proficiet inimicus in eo , & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

IN Episcopatu totus orationi , atque assiduis precibus , pastoralibusq̄ue officiis addictus ,
cū

cùm in id maximè incumberet , quod de Ecclesia sua benè regenda animo conceperat ; Id Dei auxilio assecutus est. Religionis causâ ad sepulchrum Domini ter Hierosolymam peregrinatus est. Constantiæ plures Basilicas ædificavit, unam sancti Joannis nomine, alteram sancti Pauli, tertiam sancti Mauritij , quas maximis muneribus auxit, eisque domos & prædia attribuit. Canoniorum præterea numerum in Cathedrali Ecclesia augere placuit. Xenodochium ad pauperum usum construxit.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliabitur ei. * Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

HIs itaque & alijs piè prudenterque factis (quippe qui nihil omiserit , quod beatus Paulus Apostolus Episcopo præscripsit) cùm spiritu prophetico prædixisset fore, ut beatus Gebhardus tunc puer sibi in Episcopatu post Gaminolphum succederet , Ecclesia Constantiensi quadraginta duobus annis sanctè administratâ, propagatæ religionis, virtutumque Episcopaliū laudè clarus, multisque meritis cumulatus obdormivit in Domino sexto Kalendas Decembris, anno salutis humanæ nongentesimo septuagesimo sexto. Cujus corpus in Ecclesia sancti Mauritij à se exstructa sepultura datum est. Ipse clarus miraculis à Calixto Pontifice maximo, nominis istius secundo, quinto Kalendas Aprilis in Sanctorum numerum relatus est.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium popu-
V. Iste est, qui contempsit vitam mundi & pervenit ad coelestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium. Vigilare quia nescitis. De communi Confessi.
 Pont.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

Secundâ die infra Octavam S. Conradi

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Sermo sancti Ambrosij Episcopi.

Serm. de Deposit. S. Eusebii.

Depositionem sancti Conradi hodie celebramus. Quid est depositio? Non illa, utique, quæ sepeliendis in terra membrorum reliquijs Clericorum manibus procuratur; sed illa, quâ homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad cœlum, terrenum corpus deponit. Ipsa plane est depositio, in qua concupiscere abjicimus, cessamus delinquere, peccare desinimus; & totum quidquid salutis est grave, quasi abjectâ sarcinâ oneris, deponimus. Nam ideò hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia verè est summa festivitas, mortuum esse vitiis, soli vivere justitiæ.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

ei. *ŷ.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Unde & depositionis ipsa dies natalis dicitur, quòd delictorum carcere liberati, libertati nascimur salvatoris. Sed videamus, sanctus Conradus cum qua gloria ad hanc diem depositionis advenerit. Volare non potest, nisi quod purum, leve atque subtile est, cujus nec sinceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole gravatur. Gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum, quàm delictorum, unde puto etiam in ipsis avibus idèò velocius columbam pænè præ omnibus volitare, quod alacritatem & innocentiam comitetur.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliabitur ei. *ŷ.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Denique sanctus David cum puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis nisi columbæ optavit alas, dicens : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam ? intelligebat enim, quòd altiora facilius penetrentur simplicitate mentis, quam levitate pennarum. Volavit ergò hac die sanctus Conradus. Æstimemus jam ejus innocentiam de volatu, & puritatem ejus de ipsa elatione judicemus : tamquam columba enim in domo Dei degens, assumpsit spirituales pennas, & requievit in monte,

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. **Gloria Patri** Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 24.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia sancti Fulgentij Episcopi.

Sermo de Confessoribus.

Dominicus sermo, quem debemus omnes non solum studiosè, verum etiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens ubique temperiem, ut nec ovibus desint pabula, nec pastoribus alimenta, quædam specialiter solis præcipit nobis, quædam verò generaliter & nobis & vobis. Nobis namque (id est servis, quos pater ille familiars, rerum omnium Dominus, ad hoc in sua magna domo constituit, ut populo ejus verbum gratiæ ministremus) specialiter injungitur sanctæ prædicationis officium: generaliter verò & nobis & vobis salutaris indicitur obedientia mandatorum.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loriam fidei, & ornavit eum. Er ad portas.

Le.

Lectio VIII.

Servorum igitur, quos populo suo præposuit Dominus, specialiter volens officium demonstrare, ait, quod ex Evangelio modò audivimus: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facientem. Quis est iste Dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait: Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis: Sum etenim.

R. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. **V.** Vigilate ergò, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos similes. **G**loria Patri. Et vos similes.

Lectio IX.

Quæ est etiam hujus Domini familia? Nimirum illa est, quam ipse Dominus de manu inimici redemit, & suo dominio mancipavit. Hæc familia est sancta Catholica Ecclesia, quæ per orbem terræ copiosâ fertilitate diffunditur, & redemptam se pretioso sui Domini Sanguine gloriatur. Filius enim hominis, sicut ipse ait, non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Ipse est etiam pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis. Grex ergò boni pastoris, ipsa est familia Redemptoris. **T**e Deum.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

Tertiâ die infra Octavam S. Conradi.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Gregorij Nysseni.

In funere magni Meletii, circa medium.

Cum primùm benè morata ac modesta Ecclesia beatum Conradum vidit, vidit faciem ad imaginem Dei verè formatam, vidit dilectionem fontis modo scaturientem, vidit gratiam labiis circumfusam, animi demissionis summum gradum, post quem ampliùs quidquam cogitari non potest. Vidit mansuetudinem atque clementiam, qualis in Davide fuit: qualis in Salomone, intelligentiam atque prudentiam: qualis in Moyse, bonitatem: qualis in Samuele, perfectionem: qualis in Iosepho, continentiam pudicitiamque: qualis in Daniele, sapientiam: quemadmodum magnus Elias, zelo fidei præditum: sicut sublimis Joannes, integritate corporis ornatum: sicut Paulus, inexuperabili præditum dilectione. Vidit tot bonorum circa unam animam concursum. Amore beato vulnerata est, casto bonoque sponsum suum amore atque benevolentia profecuta dilexit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **Y.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Sed priusquam cupiditatem expleret, antequam

quam desiderium recrearet atque sedaret, amoris vi fervens, tentationibus athletam ad certamina vocantibus, sola relicta est. Atque ille quidem in certaminibus pro pietate susceptis desudabat; hæc verò durabat in castitate matrimonium conservans. Non ablatum est à nobis sponsus: in medio nostrum stat, etiamsi nos non videamus, in adytis ac penetralibus Sacerdos est, in interioribus velis, quò præcursor pro nobis ingressus est Christus: reliquit carnis tegumentum. Non amplius signo & umbræ cælestium servit, sed in ipsam rerum imaginem intuetur: non amplius per speculum atque per transfennam & ænigma, sed ipsa facie cum facie collata intercedit apud Deum.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **Y.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Intercedit autem pro nobis, & populi erratis. Deposuit tunicas pelliceas: neque enim talibus tunicis opus habent, qui in paradiso degunt: sed habet indumenta, quæ puritate vitæ suæ contextuit, iisque sese exornavit. Honorata ac pretiosa coram Domino talis viri mors est: imò non mors, sed ruptura membrorum est. Dirupisti enim, inquit, vincula mea. Dimissus est Simeon, liberatus est à vinculis corporis: laqueus contritus est, & avicula avolavit. Ingressus est terram promissionis, in monte cum Deo philosophatur. Solvit animæ calceamentum, ut purâ plantâ

plantâ mentis terram sanctam, ubi conspicitur.
Deus, conscenderet.

R. Ilte est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ilte est, qui contempnit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat.
Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 24.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

De Homilia sancti Fulgentij Episcopi.

Vnde supra.

Dispensator verò quis sit, quem oportet esse fidelem pariter & prudentem, Paulus nobis ostendit Apostolus, qui de se suisque sociis loquens ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Ne quis autem vestrum solos Apostolos dispensatores factos existimet, neglectoque militiæ spiritualis officio, servus piger infideliter imprudenterque dormitet; ipse beatus Apostolus, Episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait: Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Le

Lectio VIII.

Servi autem patris familias sumus, dispensatores Domini sumus, mensuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus. Quæ verò sit ista mensura tritici, si quæramus, ipsam quoque nobis beatus Paulus Apostolus ostendit, dicens: Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Quam ergò mensuram tritici Christus nuncupat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat: ut agnoscamus, non aliud esse spiritale triticum, quam Christianæ fidei venerabile Sacramentum.

R. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptijs. **V.** Vigilate ergò, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos similes. **Gloria Patri.** Et vos similes.

Lectio IX.

Hujus tritici mensuram vobis in nomine Domini damus, quoties illuminati dono gratiæ spiritualis secundùm regulam veræ fidei disputamus: & eandem tritici mensuram per Dominicos dispensatores accipitis, cùm quotidie per Dei famulos verbum veritatis auditis. De ipsa ergo tritici mensura loquamur; ex ipsa, sicut Deus dividit, universi pascamur; inde alimenta bonæ vitæ sumamus, ut ad æternæ vitæ præmia pervenire possimus: in illum credentes, in illum sperantes, illum præ omnibus & in omnibus diligentes, qui seipsum nobis & alimentum præstat, ne deficiamus in via: & præmium servat, ut gaudeamus in Patria. **Te Deum.**

DIE XXIX, NOVEMBRIS.

Quartâ die infra Octavam S. Conradi.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

In cap. 15. Epist. ad Rom. Serm. 29. circa finem.

CHristum diligens, & gregem illius utique diligit. Et Moysen tum primum super populum Judæorum posuit, quando quâ esset in illum benevolentia, re ipsâ jam declaraverat. David quoque simili modo regno inauguratus est, posteaquam apparuerat, quàm amico esset in populum affectu. Ita quippe juvenis adhuc, populi causâ doluit ac zelavit, ut & animam suam exponeret, cum videlicet barbarum illum è medio tollebat. Quòd verò dicebat, quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interfecerit? non idè dicebat, quòd mercedem exigeret; sed quo sibi crederetur, & in pugnam cum illo comitteretur: nam cum adeptâ jam victoriâ ad regem esset ingressus, nihil de mercede meminit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ✠. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

ET Samuel quoque benignus erat, & amator populi: unde & dicebat: Absit autem hoc à me peccatum, ut cessem pro vobis orare Dominum. Ita & Paulus, immò non ita, sed multò plus omnibus ardebat erga subditos. Unde

de & discipulos ita erga se animavit, ut diceret: si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis, mihi-
 que dedissetis. Et Christus optimi Pastoris re-
 gulam proferens dixit: Bonus pastor animam su-
 am ponit pro ovibus. Sunt enim Sanctorum
 animæ vehementer mites, & hominum amantes,
 non solum erga domesticos, sed alienos, ita ut
 hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia
 bruta extendant. Propterea & sapiens quispi-
 am dixit: Justus miseretur animarum jumento-
 rum suorum. Si jumentorum, multò magis ho-
 minum.

R. Posui adjutorium super potentem, & ex-
 altavi electum de plebe mea: * Manus enim mea
 auxiliabitur ei. **Y.** Inveni David servum meum
 oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Verum quoniam pecorum mentionem fe-
 ci, perpendamus & ovium pastores illos,
 qui in Cappadocum regione sunt, qualia
 & quanta pro pecorum suorum custodia patian-
 tur. Illi sæpe numero universum triduum nive
 obruti perdurant. Dicuntur autem, & qui in
 Lybia sunt, non minora mala ferre, dum integros
 menses difficilem illam solitudinem, pessima-
 rumque bestiarum plenam vagando circumeunt.
 Si tantum erga pecora diligentia impendunt pa-
 stores illi; quam quæso excusationem habebimus,
 quibus rationales animæ concredita sunt, quod
 profundum hunc somnum dormimus? An igno-
 ras gregis hujus dignitatem? An illius gratia Do-
 minus tuus innumera non fecit? An non postre-
 mò

mò & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem
quaris? & quid poterit pejus esse pastoribus istis?

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes
operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta
est; * Ipse intercedat pro peccatis omnium popu-
lorum. **V.** Iste est, qui contempfit vitam mun-
di, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse interce-
dat. **Gloria Patri.** Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 24.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vi-
gilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester
venturus sit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 78. in Math. ante medium.

Propterea hæc dicit Dominus discipulis, ut
vigilent, ut jugiter parati sint, quia quâ non
existimant horâ, venturus est. Sollicitos igitur
facit & curiosos, ne umquam virtutem ne-
gligant. Tale quid autem est quod dicitur: Si
præscirent homines quando morituri sunt, dili-
gentiam suam circa illam horam ostenderent.
Ne igitur in illo solummodò tempore, sed con-
tinuè diligentes sint, nec generalem nec singula-
rem horam prædicit, ut semper expectando sem-
per vigilent: hæc enim ratione terminum vitæ
uniuscujusque occulit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit
eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad por-
tas Paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum
Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad
portas.

Lectio VIII.

DEinde liquidò adeò, ut numquam liquidius, Dominum seipsum appellavit. Hæc autem etiam ad erubescentiam desiderii mihi dicta videntur: majorem enim diligentiam pecuniarum conservandarum habent furem expectantes, quàm vos salutis animæ. Vigilant enim tunc, ne aliquid sibi surripiatur, vos verò, quamvis certò sciatis venturum Dominum, non perseveratis tamen, neque ita vigilatis, ut possitis non impræparati ex hac vita discedere. Quapropter cum pernicie dormientium dies ille venturus est

R. Sint lumbi vestri præincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos. **Gloria Patri. Et vos.**

Lectio IX.

NAm quemadmodum non læderetur ille furto, si furem sciret venturum: sic & vos, quoniam scitis Dominum venturum, paratiores esse debetis. Caterùm quoniam judicij mentionem fecit, ad Doctores etiam vertit orationem, de pœna & meritis disserens. Et primò bonis collatis, ad peccatores exitum facit, commodissimè orationem concludens. Quis ergo, inquit, fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? **T** s Deum.

Festa Novembris.
DIE XXX. NOVEMBRIS.

Quintâ die infra Octavam S. Conradi.
Totum Officium fit de Festo S. Andreae, nisi
hoc festum venerit in Dominica Adventus, ubi
in sequentem feriam transtertur.



FESTA DECEMBRIS.
DIE I. DECEMBRIS.

Sextâ die infra Octavam S. Conradi.
In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura
occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Ad sancti ac beatissimi Patris nostri Conradi.
De Communi Conf. Pont.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 24.

IN illo tempore dixit Iesus Discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 78. in Matth. circa medium.

Hoc autem in loco, ne rursus curiosius perscrutentur, & adhuc, ut, quod rarius est, pluris ostendat. Expende autem qualem hæc verba ignorantiam significare possunt, siquidem à se constitutum super familiam suam ignoraret. Præterea beatificat quidem eum, (Beatus enim, inquit, servus ille,) quis verò sit, silentio tradi-

tradidit : quis enim est , aut quomodò constituet Dominus super familiam suam , quem inveniet sic facientem ? Hæc non de pecunijs solummodò verùm etiam de verbis , de virtute , de omni dispensatione singulò homini concessa dicta sunt.

R. Amavit eum Dominus , & ornavit eum , stolam gloriæ induit eum : * Et ad portas paradisi coronavit eum. *Y.* Induit eum Dominus loriceam fidei , & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VIII.

HÆc parabola vel ad gerentes gubernantes- que Rempublicam accommodari potest.

Docet enim unumquemque ad communem utilitatem omnia conferre quæ sua sunt , sive sapientiam , sive principatum , sive quidquid aliud , non ad detrimentum conservorum , nec ad perditionem suam. Quapropter utrumque ab eo flagitat , prudentiam scilicet atque fidem. Delicta enim ab amentia originem habent.

R. Sint lumbi vestri præcincti , & lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum , quando revertatur à nuptiis. *Y.* Vigilate ergo , quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Fidelem igitur appellat , quoniam nihil ex rebus Domini sibi attribuit , nec incassum quidquam expendit ; prudentem autem , quia dispensare noverit : opportunè siquidem utraque re nobis opus est , ne scilicet , quæ Domini sunt,

erum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ✝. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 24.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Hortilia sancti Ambrosii Episcopi.

De fidelibus 5. Cap. 8.

Quærimus, quâ ratione Dominus designare momenta noluerit. Si quæramus non ignorantia inveniemus esse, sed sapientia. Nobis enim scire non proderat, ut dum certâ futuri judicij momenta nescimus, semper tamquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ✝. Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VIII.

Non enim prodest scire, sed metuere quod futurum est: scriptum est enim: Noli alta sapere, sed time. Nam si diem designasset expressè, uni ætati hominum, quæ proxima erat iudicio, videretur disciplinam præscripsisse vivendi superioris temporis; aut iustus esset remissior, aut peccator securior. Namque adulter, nisi quotidianam poenam metuat, non potest adulterandi cupiditatem desinere.

R. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. **V.** Vigilate, ergo, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester, venturus sit. Et vos. **Gloria Patri. Et vos.**

Lectio IX.

Plerumque enim, quibus incentivum est impunitas, timor tædium est. Ideò ergo dixi, quod scire non proderat, sed ignorare, ut ignorantes timeremus, ut observantes emendaremur, sicut ipse dixit: Estote parati, quia nescitis, quâ horâ filius hominis venturus est. Namque miles, nisi bellum in manibus esse cognoscat, prætereundum non novit in castris. **Te Deum.**

DIE IV. DECEMBRIS.

In Festo S. Barbaræ Virg. & Mart. Duplex.

Oratio.

Deus, qui inter cætera potentia tuae miracula, etiam in sexu fragili victoriam

martyrij contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Barbaræ Virginis & Martyris tuæ natalicia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur, Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Lectio IV.

BArbara Virgo Dioscoro Patre impio homine nata, ejus planè dissimilis, ab inunte ætate salutis appetens, in divinarum rerum contemplatione assiduè versabatur. Cùm autem aliquando de fide sermone divinitus habito, patrem ad illam cohortaretur, filiæ oratione ille commotus, in eam stricto gladio impetum fecit.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: *V.* Et deducet te mirabiliter dextera tuâ. *V.* Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio V.

EX quo periculo mirabiliter Virgo liberata, in carcerem post inclusa, non blanditijs, nec minis Patris ac Judicis à fidei proposito deterretur. Quà Virginis constantiâ exulceratus Judex, illam gravissimè cædi jubet; sed plagis illis noctu ope divinâ sanatis, postero die primâ luce ad Judicem iterum ducitur, in cujus corpore nullum apparet verberum signum. Eam verò curationem, cùm Judex impuris Idolis adscriberet, tum illa non à falsis diis, sed à Christo id præstari posse ostendit.

R. Di,

R. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem:
 * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo
 lætitiæ. *V.* Propter veritatem, & mansuetu-
 dinem, & iustitiam. Propterea.

Lectio VI.

Quamobrem iratior Iudex factus, ferreis
 unguibus illam dilaniari, accensis faci-
 bus aduri, atque aliis gravissimis cru-
 ciatibus torqueri imperat. Quibus tormen-
 tis affecta virgo, demum ab impio patre se-
 curi percussa, multis virtutibus & miraculo-
 rum gloriâ insignis ad duplicatum virginita-
 tis & martyrij præmium migravit in cælum
 pridie Nonas Decembris.

R. Afferentur Regi virgines post eam, pro-
 ximæ ejus. * Afferentur tibi in lætitia & exul-
 tatione. *V.* specie tuâ & pulchritudine tuâ,
 intende prosperè procede, & regna. Afferen-
 tur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno Homilia in Evangeli-
 um. simile erit regnum cœlorum decem
 Virginibus. Ut in Comuni Virg.

DIE V. DECEMBRIS.

In Festo s. Francisci Xaverij Conf.

Duplex.

Omnia de Comuni Conf. non Pont. præ-
 ter ea, quæ sequuntur

In Hymn. Vesp. & Matut. dicatur. Hac
 die lætus meruit supremos laudis honores.

Oratio.

Deus, qui Indiarum Gentes beati Fran-
 cisci prædicatione & miraculis Eccle-
 siæ

fiæ tuæ aggregare voluisti : concede propiti-
us ; ut cujus gloriosa merita veneramur, vir-
tutum quoque imitemur exempla. Per Do-
minum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura
occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

FRANCISCUS in Xaverio Diœcesis Pampelo-
nensis nobilibus parentibus natus, Parisiis
sancto Ignatio sese comitem & discipu-
lum junxit. Ipso magistro eò brevi devenit,
ut in rerum divinarum contemplatione defi-
xus à terra aliquando sublimis elevaretur :
quod illi sacrificanti coram populi multitudi-
ne aliquoties evenit. Has animi delicias ma-
gnis sui corporis cruciatibus merebatur. Nam
interdicto sibi, non carnis solùm & vini, sed
panis quoque triticeï usu, vilibus cibus vesci
solitus, per biduum subinde triduumque om-
ni prorsus alimento abstinuit. Ferréis in se
flagellis ita sæviit, ut sæpe copioso cruore dif-
flueret : somnum brevissimum humi jacens
carpebat.

R. Honestum fecit illum Dominus, & cu-
stodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tu-
tavit illum : * Et dedit illi claritatem æter-
nam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias re-
ctas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Vitæ austeritate, ac sanctitate Apostolico
muneri jam maturus, cum Joannes Ter-
tius Lusitanæ Rex aliquot nascentis

Societatis viros à Paulo Tertio pro Indiis postulasset ; sancti Ignatij hortatu , ab eodem Pontifice ad tantum opus cum Apostolici Nuntij potestate deligitur. Eò appulsus, illicò variarum Gentium difficillimis & variis linguis divinitùs instructus apparuit. Quin eum quandoque unico idiomate ad diversas Gentes concionantem, unaquæque suâ linguâ loquentem audivit. Provincias innumeras pedibus semper , & sæpè nudis peragravit. Fidem Japoniæ , & sex aliis Regionibus invexit. Multa centena hominum millia ad Christum in Indiis convertit; magnosque Principes, Regesque complures sacro Fonte expiavit. Et cum tam magna pro Deo ageret , eâ erat humilitate , ut sancto Ignatio , tunc Præposito suo, flexis genibus scriberet.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. *Y.* Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Hunc dilatandi Evangelii ardorem, multitudine & excellentiâ miraculorum Dominus roboravit. Cæco visum reddidit. Tantùm marinæ aquæ Crucis signo convertit in dulcem , quantum quingentis vectoribus , qui siti adigebantur ad mortem, diu suffecit : quâ in varias quoque regiones asportatâ ægri plurimi subitò curati sunt. Plures mortuos revocavit ad vitam ; inter

quos pridie sepultum erui iustum è tumulo fuscitavit: duosque alios, dum efferrentur, apprehensâ eorum manu, parentibus è feretro vivos restituit. Prophetiæ spiritu passim afflatus, plurima & loco & tempore remotissima enuntiavit. Demum in sanciano Sinarum Insula die secundâ Decembris obiit plenus meritis, laboribusque confectus. Demortui cadaver vivâ calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum, odore & sanguine manavit; &, ubi Malacam delatum est, pestem sævissimam confestim extinxit. Denique ubique terrarum novis maximisque fulgentem miraculis Gregorius decimus quintus Sanctis adscripsit.

R. Ille homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam; * Quia te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus. ✠. Ille est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. **Gloria Patri Quia.**

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Marcum.

Lectio VII. Cap. 16, c.

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorij Papæ.

Homil. 29. in Evang. post initium.

POtest omnis creaturæ nomine omnis natio Gentium designari. Antè enim dicitur

atum fuerat : in viam Gentium ne abieritis ; nunc autem dicitur : Prædicate omni creaturæ : ut scilicet prius à Judæa Apostolorum repulsa prædicatio tunc nobis in adiutorium fieret , cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Sed cum discipulos ad prædicandum Veritas mittit quid aliud in mundo facit , nisi grana seminis spargit ? Et pauca grana mittit in semine , ut multarum messium fruges recipiat ex nostra fide.

R. Iste est , qui ante Deum magnas virtutes operatus est , & omnis terra doctrina ejus repleta est : * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. * Ecce homo sine quærela , verus Dei cultor , abstinens se ab omni opere malo , & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio VIII.

NEquè enim in universo mundo tanta fidelium messis exurgeret , si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana prædicantium non venissent. Sequitur : Qui crediderit & baptizatus fuerit , salvus erit : qui verò non crediderit , condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat : Ego jam credidi , salvus ero. Verum dicit , si fidem operibus tenet. Vera enim fides est , quæ in hoc quod verbis dicit , moribus non contradicit. Hinc est enim , quòd de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit : Qui confitentur se nosse Deum factis autem negant.

R. Sint

ix. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. **v.** Vigilate ergo, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos. **Gloria Patri.** Et vos.

Lectio IX.

Signa autem eos, qui credituri sunt, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos, cum arbuta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terram coaluisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguarum signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. **Te Deum.**

Missa, Introitus. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebam, & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. **Psalms.** Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi; quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. **Gloria Patri.** **Loquebar.** **Epistola.** Fratres, Corde enim

enim creditur ad justiciam. De S. Andrea A-
 postolo, 30. Novembris. Evangelium. Eun-
 tes in mundum univcrsum. De SS. Cyriaco,
 Largo, & Smaragdo, 8. Augusti. Oratio se-
 creta. Præsta nobis quæsumus. Postcom-
 munion. Quæsumus omnipotens Deus: *EX*
 Missa. Juitus. De Communi Confes. non
 Pont.

DIE VIII. DECEMBRIS.

In Festo Conceptionis Beatæ Mariæ Vir-
 ginis. Duplex, cum Octava.

Omnia ut habentur in Breviario Romano.

DIE IX. DECEMBRIS.

Secundâ die infra Octavam Conceptionis
 B. M. Virginis.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptu-
 ra occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermo 18. de Sanctis, in medio.

EXultat Maria, & matrem se læta mira-
 tur, & de Spiritu Sancto se peperisse
 gaudet: nec quia peperit innupta, ter-
 retur: sed quia genuerit, cum exultatione
 miratur. O scemina super sceminas bene-
 dicta, quæ virum omninò non novit; & vi-
 rum suo utero circumdedit. Circumdat vi-
 rum Maria Angelo fidem dando, quia Heva
 perdidit virum, serpenti consentiendo. O fe-
 lix obedientia, ô insignis gratia! quæ dum fi-
 dem humiliter dedit, cœli in se opificem cor-
 poravit. Hinc promeruit gloriam, quam
 ipsa

ipsa postmodum hausit. Ecce ait, ex hoc beata
tam me dicent omnes generationes.

R. Conceptio gloriolæ Virginis Mariæ,
ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, clara
ex stirpe David: * Cujus vita inclyta cunctas
illustrat Ecclesias. **V.** Hodie concepta est bea-
ta Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio V.

O Beata Maria, quis tibi dignè valeat jura
gratiarum, ac laudum præconia repen-
dere, quæ singulari tuo assensu mundo
succurristi perditio? Quas tibi laudes fragili-
tas humani generis persolvat, quæ solo tuo
commercio recuperandi aditum invenit? Ac-
cipe itaque quascumque exiles, quascumque
meritis tuis impares gratiarum actiones: &
cùm susceperis vota, culpas nostras orando
excusa. Admitte nostras preces intra sacra-
rium exauditionis, & reporta nobis antido-
tum reconciliationis.

R. Cum jucunditate Conceptionem bea-
tæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis
intercedat ad Dominum Jesum Christum.

V. Corde & animo Christo canamus gloriam
in hac sacra solemnitate præcellæ genitricis
Dei Mariæ. Ut ipsa.

Lectio VI.

Sit per te excusabile, quod per te ingeri-
mus: fiat impetrabile quod fidâ mente
poscimus. Accipe quod offerimus, re-
dona quod rogamus, excusa quod timemus:
quia tu es spes unica peccatorum. Per te
spe-

peramus delictorum veniam, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove fiebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.

R. Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. * Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. **Gloria Patri.** Qui solvens.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. I.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. Comm. in Matth. in initio.

IN Isaia legimus: Generationem ejus quis enarrabit? Non ergo putemus Evangelistam Prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione divinitatis, hinc de incarnatione est dictum. **A carnalibus aut-**

autem cœpit, ut per hominem, Deum discere incipiamus. Filij David, filij Abraham. Ordo præposterus, sed necessariò commutatus. Si enim primùm posuisset Abraham, & postea David, rursus ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur.

R. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est & sanctum nomen ejus. **V.** Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio VIII.

IDeò autem cæteris prætermiſſis, horum filium nuncupavit: quia ad hos tantum facta est de Christo repromissio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod est Christus. Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Unde & in consequentibus Ruth Moabitica ponitur, & Bethsabee uxor Uriæ.

R. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, * Christus Deus noster. **V.** Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam
san-

sanctam Conceptionem. Quia ex te. Gloria Patri. Christus.

Lectio IX.

Jacob autem genuit Joseph. Hunc locum ob-
jecit nobis Julianus Augustus de dissonantia
Evangelistarum, cur Evangelista Matthæus
Joseph dixerit filium Jacob, & Lucas eum filium
appellârit Heli: non intelligens consuetudinem
Scripturarum, quod alter secundum naturam, al-
ter secundum legem ei pater sit. Scimus enim
hoc per Moysen, Deo jubente, præceptum, ut si
frater aut propinquus absque liberis mortuus fue-
rit, alius accipiat uxorem ad suscitandum semen
fratris, vel propinqui sui. Joseph virum Ma-
riæ. Cum virum audieris, suspicio tibi non su-
beat nuptiarum; sed recordare consuetudinis
Scripturarum, quod sponsi viri, & sponsæ vo-
centur uxores. **T**e Deum.

DIE X. DECEMBRIS.

Tertiâ die infra Octav. Concept. B. M.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura
occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. in cap. 12. Apocalypsis.

Novum fecit Dominus super terram, ut mu-
lier circumdaret virum, nec alium, quam
Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens
nomen ejus. Novum quoque fecit in cælo, ut
mulier sole appareret amicta. Denique & coro-
navit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. E-
gredimini filia Sion, & videte Regem Salomo-

T

nem

nem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Verùm hoc aliàs. Interim sanè ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus. In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim.

R. Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ, ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, clara, ex stirpe David, * Cujus vita in cunctis illustrat Ecclesias. *V.* Hodie concepta est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio V.

Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans, ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies veni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Nimirum læva sponsi sub capite ejus, & jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas, quis stellas nomet, quibus Mariæ regium diadéma compactum est?

R. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. *V.* Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

Lectio VI.

Quid ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex regibus orta, quòd ex semine Abrahamæ, quòd generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde, quòd generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divi-

divinitus noscitur esse concessa : quòd longè antè eisdem patribus cœlitus repromissa , quòd mysticis præfigurata miraculis ; quòd oraculis prænunciata prophetis. Hanc sacerdotalis virga , dum sine radice floruit : hanc Gedeonis vellus , dum in medio siccæ areæ maduit : hanc in Ezechiëlis visione orientalis porta , quæ nulli unquam patuit , præsignabat.

R. Conceptio tua Dei Genitrix Virgo , gaudium annuntiavit universo mundo : * Ex te enim ortus est Sol justitiæ , Christus Deus noster : * Qui solvens maledictionem , dedit benedictionem : & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam. ✠ Benedicta tu in mulieribus , & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. **Gloria Patri.** Quia solvens.

In tertio Nocturno. Lectio VII.

Lectio sancti Evangelij secundùm Matthæum.

Liber generationis Jesu Christi filij David , filij Abraham. Abraham genuit Isaac , Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Math. cap. I.

Non refert quis in originis numero atque ordine collocetur , dummodò universorum familia cœpta esse intelligatur ab uno. Itaque cùm ejusdem tribus sint Joseph & Maria , dum profectus esse ex Abrahamæ genere Joseph ostenditur , profecta quoque docetur & Maria. Hæc enim in lege ratio servata est , ut si mortuus sine filiis familiæ princeps fuisset , defuncti uxorem posterior frater ejusdem cognationis acciperet

ret, susceptosque filios in familiam ejus, qui mortuus esset, referret: maneretque ita in primogenitis successionis ordo, cum patres eorum, qui post se nati essent, aut nomine haberentur, aut genere.

R. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *V.* Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio VIII.

Consequens illud est, ut quia diximus secundum rerum fidem generationis istius ordinem nec numero sibi, nec successione constare, hujus quoque rei ratio afferatur. Non enim levis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis: & aliud referatur in summa, aliud verò teneatur in numero. Namque ab Abraham usque ad David quatuordecim generationes numeratæ sunt: & à David usque ad transmigrationem Babylonis, in quibusdam libris decem & septem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacii, aut negligentiae vitium est: tres enim ratione præteritæ sunt. Nam Joras genuit Ochoziam, Ochozias verò genuit Joam, Joas deinde Amasiam, Amasias autem Oziam: & in Matthæo Joras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit: hoc ita, quia ex Gentili foemina Joras Ochoziam genuit, ex Achab scilicet, qui Jezabel habuit uxorem.

R. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justus.

justitiæ, * Christus Deus noster. *ŷ.* Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto famineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te. **Gloria Patri. Christus.**

Lectio IX.

Denique per Prophetam non nisi quartâ generatione in throno regio Israël quemquam de domo Achab esse sessurum dicitur. Purgatâ igitur labe familiæ gentilis tribus, quæ præteritis jam regulis, in quarto generationum consequentium ordine numeratur, & usque ad Mariam generationes quatuordecim esse scribuntur, cum numero decem & septem reperiantur, nullus error esse poterit scientibus non eam solum esse Domino nostro Jesu Christo originem, quæ cœpit ex Maria: sed in procreatione corpora, nativitatæ æternæ significantiam comprehendendi. **Te Deum.**

DIE XI. DECEMBRIS.

Quartâ die infra Octavam. Concept. B. M.

Fit de S. Damaso Papa & Confessore.

DIE XII. DECEMBRIS.

Quintâ die infra Octavam. Concept. B. M.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. Lectio IV.

Ex libro sancti Epiphaniî Episcopi adversus hæreses.

Lib. 3. hæresi 78. post medium.

Beata mater Dei Maria per Evam significatur, quæ per anigma accepit, ut mater vi-

ventium vocetur. Illa etenim mater viventium vocata est, etiam postquam audivit: Terra es, & in terram revertêris, post transgressionem. Et mirum est, quòd post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Eva omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, & fieret Maria Mater viventium. Per ænigma igitur Maria mater viventium appellata est.

R. Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahamæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David: * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *ÿ.* Hodie concepta est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio. V.

EVÆ datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem: Mariæ verò datū est à Deo, ut pàreret nobis Agnum, & ovem, & ex gloria ipsius Agni & ovis fieret nobis velut à velere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Eva etiam mortis causa facta est hominibus: per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc Filius Dei advenit in mundum: & ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit & gratia: & unde illata est mors, illinc processit & vita, ut vita pro morte fieret, & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Eva, cum adhuc esset virgo, per inobedientiam

tiam transgressa est; è contrario per Virginem obedientia gratiæ facta est, annuntiato adventu in carne de cœlo, & vita æterna.

R. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. ✠. Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa pro nobis intercedat.

Lectio VI.

DE Maria enim accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclesia : Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ : & erunt duo in carne una. Sanctus autem Apostolus dicit : Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Et vide Scripturarum accuratam dicendi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, formavit : de Eva verò non formatam esse, sed ædificatam. Accepit enim, inquit, unam de costis ejus, & ædificavit ipsi in uxorem. Quo ostendat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi corpus, ab ipsa verò costa ædificatam esse Ecclesiam, in eo quòd punctum & apertum est ipsius latus, & mysteria sanguinis & aquæ, prætia redemptionis facta sunt.

R. Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo. * Ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster : Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem : & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. ✠. Benedicta tu in mulieribus,

& benedictus fructus ventris tui. Ex te enim,

Gloria Patri. Qui solvens.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. I.

Liber generationis Jesu Christi, filij David, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 2. in Matth. post initium.

Auditu quidem mirabile est, quòd ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi, Patrique per omnia coequalis, per Virginis ad nos venit uterum, & fieri ex muliere dignatus est, & habere progenitores David & Abraham: & quid dico, David & Abraham? etiam illas, quod magis stupendum est, fœminas, quas paulò ante memoravi. Hæc igitur audiens mente confurge, nihilque humile suspicêris, sed potius propter hoc ipsum maximè mirâre, quia cum verus & dilectus filius sit sempiterni Dei, etiam filius David esse dignatus est, modò ut te filium faceret Dei: servum patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret ipsum Deum.

Ex. Beatam me dicent omnes generationes: *

Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ✠. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Le.

Vides ab ipso statim principio, quàm lata sint hæc nuntia. Quòd si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, ab iis, quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multò est difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem Dei filium consecrari. Cùm ergo audieris, quia Filius Dei, Filius sit, & David & Abrahamæ; dubitare jam desine, quòd & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundùm carnem, ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.

R. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, * Christus Deus noster. ✠. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fratre mineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te. Gloria Patri. Christus.

Lectio IX.

Propterea duplex facta generatio est, hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quòd enim natus ex fæmina est, & nobis competit: quòd verò non ex voluntate carnis aut viri, sed ex Spiritu sancto, aliam nobis sublimiorem, futuramque & spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diversitate constabant. Nam & baptisma profectò tale suscepit, quod haberet

quidem aliquid veteris, haberet & novi. Quod enim baptizatus est à Propheta, expressit vetus: quòd autem descendit Spiritus, adumbravit novum. **T**e Deum.

DIE XIII. DECEMBRIS.

Sextâ die infra Octavam. Concept B. M. V.

Fit de S. Lucia Virgine & Mart.

DIE XIV. DECEMBRIS.

Septimâ die infra Octavam. Concept. B. M. V.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Si verò venerit in Quatuor Temporibus. Lect. I. Noct. erunt de Parabolis Salomonis. Ego sapientia habito, quæ ponuntur supra in festo S. Nominis B. M. fol. **I 93.** & **IX.** Lect. de Homilia, ser. & de ea fit commem. in laud.

In secundo Nocturno, Lectio IV.

Ex Epistola S. Ambrosij Episcopi ad Siricium Papam. *Epist. 81. al. 7.*

DE viâ perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non Virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum semper conceptus præcedat, partus sequatur? Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodivit & servat. Audivit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit.

spondit postea : Ecce ancilla Domini , contingat mihi secundum verbum tuum.

R. Conceptio gloriosæ virginis Mariæ ex semine Abrahamæ , ortæ de tribu Juda , clara ex stirpe David , * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *ÿ.* Hodie concepta est beata virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio V.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri adversus Jovinianum.

Ex Apolog. ad Pammach. pro lib. adversus Jovinianum in fine.

Christus Virgo , Mater Virginis nostri Virgo perpetua ; Mater, & Virgo ; Jesus enim clausis ingressus est ostiis ; & in sepulchro ejus, quod novum & in petra durissima fuerat excisum , nec antea quis , nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus ; de quo fonte ille fluvius manat , juxta Joël , qui irrigat torrentem vel funium , vel spinarum : funium peccatorum, quibus antea alligabamur : spinarum , quæ suffocant sementem patris familias. Hæc est porta orientalis, ut ait Ezechiel , semper clausa , & lucida , operiens in se, vel ex se proferens Sancta sanctorum, per quam Sol justitiæ & Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur, & egreditur.

R. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus : * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. *ÿ.* Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcellæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

Ex libro sancti Irenæi Episcopi & Martyris
adversus hæreses,

Lib. 5. cap. 19.

IN sua propria veniente Domino, & sua propria eum bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipso, & recapitulationem ejus, quæ in ligno fuit, inobedientiæ, per eam, quæ in ligno est, obedientiam faciente, & seductione illâ soluta, quâ seducta est malè illa, quæ jam viro destinata erat virgo Eva; per veritatem evangelizata est benè ab Angelo jam sub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita & hæc per Angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum; Sic hæc suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morte genus humanum per virginem, solvatur per Virginem: æquâ lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam.

✠. Conceptio tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ✠ Ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster: ✠ Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. ✠. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. Gloria Patri. Qui solvens.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. I.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Vnde suprâ paulò post.

Cujus verò rei gratiâ librum ipsum generationis Christi vocat, ubi non sola utique generatio, sed tota prorsus ipsius mysterii dispensatio continetur? quia totius scilicet dispensationis caput, radix, atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Ut enim Moyses librum cœli appellavit ac terræ, cùm certè non de cœlo solum terræque loqueretur, sed de cunctis, quæ inter ipsa subsistunt: ita etiam Evangelista ab ipso omnium fonte, & capite bonorum librum vocavit.

R. Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *V.* Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio VIII.

Qua verò de causa non eum antè, filium Abraham, & postea filium David, nuncupavit? Non, sicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscendere. Cæterùm fecisset, quod fecit & Lucas: nunc autem è contrario facit. Cur ergo commemoravit priorem

orem David? Quia ipse procul dubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris & gloriæ, ob ipsius quoque temporis spatia junctiora. Etsi enim utrique promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum reticebatur, hoc vero quasi novum & recens ab omnibus celebrabatur.

R. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: *Quia ex te ortus est Sol justitiæ *Christus Deus noster. *V.* Ora pro populo. interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te. Gloria Patri, Christus.

Lectio IX.

Ipsi namque Judæi dicunt: Nonne ex femine David, & Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahamæ, sed omnes filium David nominabant, qui etiam honorabiliores quosque de sanctitate Reges, qui post David fuisse referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipsi solum, verum etiam Deus. Nam & Ezechiel, & alij Prophetæ dicunt, David surrecturum esse, atque venturum; non de illo utique mortuo jam loquentes, sed de ijs, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur à notiõre interim, & celebratiore persona sumit exordium; & tum demum ad antiquiorem recurrit parentem. Te Deum.

Ad Vesperas omnia dicuntur ut suprain primis Vesperis Festi.

Et fit com. fer. & S. Eusebij Episc. & Mart. Antiphona. Ille sanctus. Versus. Gloria & honore Oratio.

Oratio.

DEus, qui nos beati Eusebij Martyris tui atque Pontificis annuâ solemnitate lætificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus.
Per Dominum.

DIE XV. DECEMBRIS,

In Octa. Conceptionis B. Mariæ.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Si verò venerit in Quatuor Temporibus Lectiones dicuntur ut supra in die septima infra Octavam notatum cum Lect. IX. de Homilia Feriæ
In secundo Nocturno. Lectio IV.

De Expositione sancti Gregorij Papæ in libros Regum.

In 1. Reg. 1.

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine beatissima semper Virgo Maria, Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.

Rx. Conceptio gloriosæ Virginis Mariæ, ex-
se

semine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *ŷ.* Hodie concepta est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio V.

Ex Epistola sancti Leonis Papæ ad Puleheriam Augustam.

Epist. 13. ante medium.

Sacramentum reconciliationis nostræ antea tempora aterna dispositum, nullæ implebant figuræ: quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei, ut & intra intemerata viscera ædificante sibi sapientia domum, Verbum carer fieret, & forma Dei, ac forma servi in unam conveniente personam, Creator temporum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis Patri: consubstantialis esse dignaretur & Matri, naturamque sibi nostram solus à peccato liber uniret; sub iugo Diaboli generaliter tenebatur humana captivitas.

ŷ. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. *ŷ.* Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcellæ genitricis Dei Mariæ, Ut ipsa.

Lectio VI.

De Expositione S. Basilij Episcopi in Isaiam Prophetam. *In c. 8. post initium.*

Accessi, inquit, ad Prophetissam, & in utero accepit, & peperit Filium. Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proximè accessit Isaias per prænotionem spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod si animum accomodaveris universis ejus verbis, non utique contentiosè negaveris eam fuisse Prophetissam, quòd Domini Spiritus in eam supervenerit, & virtus Altissimi obumbraverit ei.

R. Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. *V.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te enim. **Gloria Patri.** Qui solvens.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundùm Matthæum,

Lectio VII. Cap. I.

Liber generationis Jesu Christi filij David, filij Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysoستي.

Vnde suprâ pauld post.

Duo sunt, quæ pariunt quæstionem. Unum, quæ causa sit, ut in generationum catalogo

Virgo fileatur: alterum verò, quâ ratione Joseph memoretur, cui certè nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim & unum abundare, & alterum deesse. Quid ergo dicemus? quòd utique primùm illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex David Virgo descendit. Unde hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum; Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, ex domo & familia David. Quid vis audire manifestius, cum ex domo & familia David illam Virginem esse cognoscas?

R. Beatam me dicent omnes generationes: *

Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est & sanctum nomen ejus. *R.* Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio VIII:

Non erat mos apud Hebræos, generationum catalogum per fœminas texere. Ut ergo & morem custodiret (ne in ipso statim principio videretur antiqua destruere) & nobis Virginem certiùs indicaret; parentes ejus reticens atque majores, de Joseph generatione non tacuit. Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam: sive Joseph reticisset, non agnovissemus, ex qua tribu Virgo subsisteret. Ut ergo & nos discernere, quæ esset Maria, vel unde, & consuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de domo illum David esse monstravit.

R. Felix namque es sacra Virgo Maria : & omni laude dignissima : * Quia ex te ortus est Sol iustitiae, * Christus Deus noster. *V.* Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto famineo sexu : sentiant omnes tuum juvamen, qui cumque celebrant tuam sanctam Conceptionem, Quia ex te. *Gloria Patri. Christus.*

Lectio IX.

Hoc enim declarato, illud quoque pariter ostendit, quod scilicet inde esset & Virgo: quia utique nequaquam iustus iste patretur uxorem sibi aliunde, quam unde lex precipiebat, eligere. Possimus verò aliam quoque & altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermissi sunt. Sed quæ est ea? Noluit Evangelista recenti adhuc tempore non vi illius admirandique partus Judæis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex Virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum atque insignium virorum traditione susceptus. *T*e Deum laudamus.

In Laud. sit com. ferix & s. Eusebij. Antiphona. Qui odit. V. Iustus ut palma. Orat. Deus, qui nos, ut supra. fol. 303.



OFFICIUM

**SS. ANGELORUM
CUSTODUM.**

JULIUS.

Dominica post Octavam SS. Apostolorum, Petri & Pauli. SS. Angelorum Custodum. Duplex, eum Octava,

U 2

Ad